IHC MA T

Nobili domino Nicolao Bassykon de Konary Una cum conthorali sua Hedwige et liberis suis Ordinis seraphici patris
nostri sancti Francisci benefactoribus devotissimis Frater Gabriel de Verona eiusdem ordinis minimus et indignus ac in
provinciis Austrie Bohemie Stirie Moravie Slezie Polonie Mazovie etc quo ad fratres de observancia nuncupatos Reverendissimi patris
Vicarii generalis Commissarius necnon Vicarius immeritus. Cum oracionum suffragio salutari omnium incrementa virtutum Quamvis ex
caritatis debito omnibus teneamur Illis tamen longe amplius obligamur quorum dilectionem certis beneficiorum indiciis frequencius
experimur Proinde vestre devocionis sinceritatem attendens quam ad nostrum et prefati patris nostri sancti Francisci geritis ordinem Veluti
veridica relacione cognovi dignum putavi et divine acceptabile voluntati Ut ab ipso ordine prerogativam senciatis spiritualium graciarum
Verum quia nudi temporalibus bonis caritatis vestre subsidiis dignam rependere vicem nequaquam temporaliter valemus spiritualibus
nihilominus beneficiis prout in nostris apud dominum deum nostrum servamus desideriis compensare spiritualiter affectamus. Eapropter ego
qui licet indignus curam fratrum minorum de observancia nuncupatorum in partibus et provinciis prefatis habeo generalem Vos suprascriptas
personas necnon et animas vestrorum defunctorum ad Confraternitatem nostram et ad omnia et singula nostre Religionis suffragia in
vita recipio pariter et in morte Plenam vobis participacionem omnium carismatum et spiritualium bonorum Videlicet Missarum oracionum suffragiorum
officiorum divinorum Ieiuniorum abstinenciarum disciplinarum, penitenciarum Peregrinacionum Inspiracionum, Predicacionum Lectionum
Meditacionum Contemplacionum Observanciarum Devocionum et omnium aliorum spiritualium bonorum tenore presencium graciose concedendo
que per fratres nostros in provinciis predictis degentes operari et acceptare dignabitur clemencia salvatoris Addens insuper de
dono et gracia singulari Quod cum divine placuit voluntati de exilio instantis miserie vos vocare Vesterque obitus [illegible]
domino tempore differendus nostro fuerit Capitulo nunciatus Idem volo ut pro vobis fiat officium quod pro fratribus nostris defunctis
recitantis ibidem annuatim ex more per totum ordinem fieri consuevit Valeat feliciter vestra devota et fervens caritas in
Christo Ihesu domino nostro. Datum in Loco sancti Bernardini Poznanie vicesima quarta mensis octobris Anno domini Millesimo cccc lx°